



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

V. De precariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

§. 9. In quibus rebus consistat mutuum.

Quod fieri non potest, nisi in rebus, quæ mutuam functionem recipiunt, hoc est, quæ numero, pondere vel mensurâ constant. Nam in aliis rebus ideo in mutuum non igitur, quod aliud pro alio solvi non potest, iavito creditore, d. l. 2, §. 1. Si quidem in aliis rebus cadit affectio.

§. 10. De pacto vel stipulatione adjecta mutuo.

Et cum mutuum re contrahatur, profectò conveniri non potest, ut plus, quàm datum est, reddatur, puta, undecim pro decem, l. Rogasti 11, §. si tibi dederò D. Si cert. pet. ne quidem accedente stipulatione; cum hæc res in usuram incidere, non solum jure Canonico, sed & lege divinâ improbatam, cap. Consuluit 10, Ext. De usur. de quò latius inf. tit. de usur.

DE PRECARIIS.

TITULUS V.

§. 1. Quid Precarium, & in quo conveniat cum Commodato, & ab eodem distet.

Precarium est, quod precibus petendi utendum conceditur, tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, l. 1, in princ. D. De precario. Convenit cum Commodato in eo, quod dis, qui commodat, etiam permittat uti re commodatâ, d. l. 1, §. fin. Distat verò, quod Precarium ad certum tempus & præscriptum usum non detur, commodatum contra, §. 1. sup. de commod. vide Covar. Var. resol. lib. 3, cap. 15, num. 7.

§. 2. Tempus certum precario adjectum rejicitur à precario.

Hinc aliàs quæsitum fuit: Si precarium ad certum tempus, veluti, ad Calendas Januarias concessum fuerit, an precario possidens in eum diem se tueri possit, ne antè ab eo res avocetur? Et responsum est, nullam vim esse hujus conventionis; cum adjectum tempus naturæ precarij repugnet, l. Cum precio 12, D. De precar. & cap. fin. Ext. eod.

§. 3. Ad quid tenetur precario possidens.

Quò etiam fit, ut propter hanc liberam revocationem. Vbi scilicet indefinitè conceditur precarium; aliàs si in certum usum, esset commodatum.

cationem concedentis, is, qui precario possidet, non tenetur ultra dolum & latam culpam, quæ dolo proxima est, l. Quasitum 3, §. Et illud annuatur cum §. seq. D. eod.

De precaria.

Extat & hoc jure Canonico contractus precariæ, quo pro re donata Ecclesiæ donatori in vicem, tripulum vel duplum in usum fructum redditur ab eadem Ecclesiâ, juxta decisionem can. Precaria x. quas. 2. Unde pro arbitrio concedentis non revocatur precaria, sed expirat morte accipientis, cap. fin. in fine Ext. hoc tit. juncto il. cum. Precaria: dummodò precaria rationabiliter facta sit; alioqui à concedentis successore impunè revocatur, can. De precariis d. qu. 2. & cap. 2, Ext. eod. vide Pat. norm. & alios Ext. in hunc tit. De quinquennio autem in quinquennium precariæ revocatio fieri jubetur, cap. 1, Ext. hoc tit.

NOTATIO in Tit. 5.

b. Videtur hujus precariæ vestigium extare apud Justinian. §. si verò aliquis, Novell. 110, de alien. & emphyt.

DE FEVDIS.

TITULUS VI.

§. 1. Feudum quid?

Feudum est beneficium, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem maneat, usufructus verò illius ita ad accipientem

transcat, ut ad eum hæredesque ejus masculos, si ve fœminas (si de his nominatim sit dictum) in perpetuum pertineat: ad hoc, ut ille & hæredes ejus fideliter domino servant; si ve servitium illud